renite aurora. intelligunt solem altius debere ascendere; suosque
fructus, quos in horrea sperant colligere, ex eius caloris virtu-
te perfectius et citius debere maturescere. Illarum autem partium inhabi-
tatores, ubi noctis regnant caligines, ex eo non solum gratulantur;
quod post aurore ortum, solem debere oriri cognoscunt, verum etiam
ex hoc nimium congratulantur, quia intelligunt quod surgente aurora, agenda
sua videre sufficiunt. Constat nimirum sancti angeli regni celestis
inhabitatores, aurore ortum, hoc est marie nativitatem,
non desiderabant causa luminis, quia verus sol qui ipse deus est, ab
eorum aspectu nequaquam recessit; sed idcirco ipsam cupiebant in
hoc mundo nascendo oriri, quia prenoscebant deum qui soli assimilatur,
per hanc auroram maximam suam caritatem, que per calorem intelligitur,
ille manifestius ostendere. atque homines qui deum diligerent, per bona
opera fructiferos debere esse, et per constantiam in bono perseverantiam
eos maturos fieri; ut eos angeli in illa eterna horrea.
que celesti gaudio comparantur valeant congregare. Homines vero
huius tenebrosi mundi, matris dei ortum presentientes; non solum ex hoc
gavisi sunt, quia intelligebant quod ipsorum liberator ex ipsa nasci debe-
bat; verum etiam ex eo gaudebant, quod istius gloriose virginis honestis-
simos mores viderent, et quid agendum sive fugiendum esset, ex ea
plenius addiscerent. Hec etiam virgo. virga illa extitit: quam ysai-
as de radice yesse egressuram prenuntiavit: floremque ex ea procedere
ascendere, super quem spiritus domini requiesceret, prophetavit. O virginem
ineffabilem: que dominum in sue utero crescebat; medulla eius in

celo gloriosus permanebat. Hec itaque virga tam gracilis est: quod in initiis aliud facilius versabat. Medulla vero ipsius in longitudine et latitudine, tam inmensa et grandis est: quod nulla mens ipsius magnitudinem excogitare sufficiebat. Non enim valuit virga florem proferre; antequam medulla per suum introitum, sibi virtutem germinandi conferret: nec etiam virtus medulle manifeste apparuit antequam virga suum humorem medulle addidit. Hec denique medulla persona est filii dei, quem licet pater ante luciferum genuit, in flore tamen id est in humano corpore non apparuit: donec de consensu virginis, que per virgam designatur, huius floris materiam ex eius purissimo sanguine in eius virginali utero accepit. Et quemadmodum hec benedicta virgula scilicet gloriosa maria a matris corpore separatur in sua nativitate; verumptamen dei filius non magis a patre separatus est, quando virgo ipsum in terra corporaliter peperit: quam quando pater eum sine corpore spiritualiter genuit. Spiritus quoque sanctus ab eterno inseparabiliter erat in patre et filio; quia sunt tres persone: et una divinitas. Tu autem domine miserere nostri. Deo gratias. Responsorium

al m m m m m m mus V. Virgo dei genitrix vir

ginitatis xpi gloriosa nativitas sit nobis perpetua

ga est flos filius e m m m m ius Et: iocunditas

Cum sit equaliter patri et filio et spiritui sancto. Lectio ija una est divinitas: ita et in eis nusquam fuit diversa voluntas. Unde quemadmodum si de uno accenso rogo tres flamme procederent: ita ex divine voluntatis unitate tres caritatis flamme ad unius operis perfectionem exiliter processerunt. Flamma enim caritatis a patre procedens lucidissime ardebat coram angelis: qui ipsius voluntatem esse noverunt: suum dilectum filium pro captivi servi liberatione velle benigniter exponere. Caritatis flamma procedens a filio non latuit: qui ad patris nutum semetipsum exinanire voluit: accipiendo formam servi. Flamma quoque caritatis procedens a spiritu sancto: non minus fervens videbatur: qui patris et filii suique ipsius voluntatem per manifesta opera demonstrare paratum se exhibuit. Et quamvis huius divine voluntatis ferventissima caritas per omnes celos radiabat in inenarrabile consolationem ex sua claritate angelis conferens: ex hoc tamen humano generi redemptio secundum eternam dei preordinationem venire non poterat: antequam maria esset genita. in qua tam fervens caritatis ignis accendi debebat. quod

eius odorifero fumo sublimius ascenderitte. igitur qui in
deo erat se ipsum in eum infunderet, et per eum hunc frigescentem mundum
illaboret. Hec denique virgo post suam nativitatem nove lucerne
sed nondum accense similis est. quam ita tamen accendi oportuit;
ut sic dei caritas, que tribus flammis assimilatur in celis ra-
diaret: similiter hec electa lucerna maria, aliis tribus caritatis
flammis in hoc tenebroso mundo radiaret. Prima quippe
flamma marie, cum deo satis lucide resplenduit: qui ad dei ho-
norem virginitatem immaculatam usque ad mortem firmiter servare
promisit. Hanc utique honestissimam virginitatem ita deus pater comprobav-
it; ut suum dilectum filium, cum sua filiique ac spiritus sancti divinitate
sibi mittere dignatus est. Secunda marie caritatis flamma in hoc
apparuit, quod in omnibus humilitate inexcogitabili virgo se ip-
sam depressit; quod etiam deo benedicto filio sic placuit. quod ex
eius humillimo corpore venerabile illud corpus dignatus est assumere:
quod quidem super omnia in celo et in terra, decenter exaltatur sublimatur.
Tercia quoque flamma est sua per omnia laudabilis obediencia; que tam
spiritum cita sibi attraxit: quod per eum omnium graciarum donis repleta fuit.
Et quamvis hec benedicta nova lucerna hiis caritatis flammis,
non statim post nativitatem suam accensa fuerit, quia etsi ei sicut aliis infan-
tibus corpus exiguum, et tener intellectus; propter quod voluntatem dei intelli-
gere non poterat. deus tamen de ea quamquam adhuc nichil meruis-
set, magis congratulabatur: quam de omnium hominum beneficiis. qui ante
eam fuerunt geniti, per mundum universum. Nam quamodum

o 1 5 9 3 o

Skatte och Mantals Boock
Sampt Marckh, Tomell och Nebberstam [illegible] ödis och
[illegible] och öfra Härredh Åhr Anno | Saarhöör